Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 805
Quelle:
Copyright:

nensi iussus. immo coactus sum. Quod ideo dixi. ut expositiuncula ista tanquam a presumtuoso edita non displiceat. quia non presumptio sed obedientia edidit. Jam nunc ergo oratiunculam istam salua fide ac sine preiudicio melioris ad laudem eiusdem uirginis et matris Jhesu humiliter scribere aggrediar. Nactus eam tandem *Gerberonius* e *Cod. Corbej.* inter *Castigationes Opp. Anselmi*, ubi nemo facile quaesierit, p. 640. retulit.

XVIII. *fol.* 97. p. 2. Rursus continuantur *Excerpta* immixtis *Sermonibus* integris 1mo. *Gregorii M.* in illud Lucae: *Exiit edictum a Cesare* &c. Extat *Opp.* edit. *Maur.* T. I. *col.* 1460. et incipit: *Quia largiente domino Missarum sollemnia* &c. 2do. *Bedae* in illud Lucae: *Pastores loquebantur ad in vicem* &c. Extat T. VII. *Opp. Colon.* 1688. *col.* 303. et incipit: *Nato in bethleem domino saluatore* &c. 3tio. Sermone de verbis Apostoli: *Fundamentum aliud nemo potest ponere* &c. qui *Caesarii* est, legitur vero etiam T. V. *Opp. Augustini append. col.* 185. et incipit: *In lectione Apostolica quę nobis paullo ante recitata est* &c.

XIX. *fol.* 104. Tractatus Metricus *de Eucharistia* absque Titulo. Dum *Job. Busaeus* Jesuita a. 1600. *Moguntiae* Opera *Petri Blesensis* typo pararet, adlatus illi est Codex e Bibliotheca *Tabernensi Caroli* Card. *Lotharingi* Ep. *Argent.* in quo Tractatus hic *Anselmi Cantuar.* nomen praeferebat. At ille rationibus, quas in *Prooemio* enumerat, adductus illum *Petro* suo *Blesensi*, *Cantuariensi* non quidem Praesuli, sed Cancellario adtribuit. Nec repugnavit *Petr. Gussanvillanus* alter *Petri* promulgator, in cujus edit. *Paris.* 1667. f. Tractatus noster una cum *Busaei* Monito p. 600. incipit. Potissima pro *Blesensi* decidendi ratio illa videtur, quod Autor in *Prologo* pariter metrico bis se ipsum *Petrum* adpellet. Sed nempe alium *Petrum* Carminis autorem prodit *Codex S. Germani Paris.* excitatus ab *Oudino* T. II. *col.* 1725. in quo illud sic inscriptum legitur: *Incipiunt Versus Magistri Petri Pictoris Canonici S. Audomari. De sacramento Altaris.* Inscriptionem hanc memoratus excipit *Prologus.* Jam vero *Prologus* hic a *Cod.* nostro abest, ejusque locum occupat Rhythmus brevior, qui infit:

Quisquis nostri redemptoris vestiris imagine
Et diuinę sacramentis delectaris paginę
Nostrum lege Codicellum. in quo scripsi breuiter
Quid de christi sit tenendum corpore salubriter. &c.

Eundem Rhythmum *Prologi* loco in Exemplari suo invenisse debuit *Ant. Beaugendre*, cumque Exemplar illud plura etiam *Hildeberti Cenomanens.* Carmina contineret, ratus et nostrum istud ad *Hildebertum*